



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Libidinis furor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

& interpeſtiva ex ſapiente factum. Meminit hujus Alconis Virgilius
Eclog. 5. & Manilius lib. 5.

SYMBOLUM XVI.

Iupiter in taurum vertitur.

2. Metam.

Ethicè.

1. Libidinis furor. 2. Corpus decipit animum. 3. Custodia
pudicitiae.

Qualia ſclerum monſtra pro Dijs colerent antiqui Gentiles, va-
rijs commentis Poëta prodiderunt, in ſui præſertim Jovis, Numi-
num ſupremi, flagitijs deſcribendis non minùs impuri, quàm di-
ferri. Nota eſt fabula de *Europa* Agenoris Phœnicum regis filia, quam
rex ille Deorum flagitioliſſimus in ſpeciem bovis transformatus rapuiſſe,
& in Cretam inſulam tranſvexiſſe fingitur.

Ethica.

I. (a) Ineſt fabulæ turpi doctrina pulchra; oſtendere namque Com-
mentores ingenioliſi voluère, quanta vis, æſtus, & furor ſit libidinis; quæ
ubi prævaluit rationi, ad nullum non dedecus atque turpidinem rapit,
adeò, ut nonnunquam viri inſignes, quaſi è rationis humanæ domici-
lio exierint, non dubitent cum ſumma dignitatis & exiſtimationis ſuæ
jactura frenos cupiditatis, brutorum in morem laxare; de quibus O-
vidius

Non benè conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas, & amor. Sceptri gravitate relicta,
Ille Pater, Rectorque Deùm, cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, miſtusque juvencis
Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis,

Hic igitur Jupiter, tantus ac talis, libidinis impotenti dominio
ſuperatus, in *taurum*, animal laſcivum, furibundum, & in Venerem
ſummo

K 3

(a) Libidinis furor.

summo cum impetu ruens, abijt; prò turpitudine! è Deo factus est bestia, & gramen, ut bos comedit. Huc deijcit impotentis amoris libido, & pudendæ voluptatis, excussa ratione, appetentia. Id quod Ægyptij suis figmentis docuere, dum *Iovem* capite arietino (etiam taurino) *Mercurium* facie canina, *Pana* totum hircum repræsentârunt. Nempe homo propter indomitas cupiditates *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* psal. 48. Hoc effrænata lascivia potest; unde regius Vates psal. 31. hortatur: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quasi diceret, nolite abripi fœdis concupiscentiæ motibus, & sicut equi ac muli adhinnire ad uxores alienas, quemadmodum ego feci. Id etiam Jeremias Proceribus Hebræis exprobrat cap. 5. *Vnusquisque ad uxorem proximi sui adhinniebat*, id quod Jupiter non habita ratione Numinis sui, turpiter fecit. Adeò taurinus hic æstus, an œstrum dicam? etiam coronata capita inflamat, rapit, dementat.

Neque solùm potentibus, sed etiam sapientibus erubescenda est tam bruta, & insana libido, quæ dicta est ab eo, quod *libeat*, sive honestum sit & concessum, sive turpe & veritum. Euripides in Hecuba Venerem nominatam censet *Aphroditem*, quasi *ἀφροδίτην*, id est, imprudentiam & insipientiam, hanc enim, turpium amorum Mater inducit. Vnde meritò fingitur Minerva, Sapientiæ Dea, è cerebro Jovis prognata, non ex abdomine, ubi libido æstuat.

II. (b) Eruditus & pius Scriptor hanc applicat fabulam ad illecebras corporis, quibus anima in perniciem trahitur. Adfero ejus verba. Europa regis Agenoris filia, ut in fabulis est, ad littus Tyrij maris in prato nitidissimum taurum conspicata, quamvis primò contingere metueret, tamen ubi mitem & ablandientem, nec minarum quidquam habentem vidit, dempto metu adire, tangere, manu demulcere sustinuit, herbas etiam & flores in pabulum porrigere. Taurus variè alludens, & nunc blandus stare, nunc in genua procumbere, modò cillum & palearia manu palpanda præbere, modò cornua sero impedienda offerre, jam etiam niveum tergum subijcere, & velut ad sessionem invitare. Tam humanam pecudem experta virgo regia, ausa est etiam, nescia quem premeret, tergo insidere. Hic taurus sensim atque fallaciter à sicco littore abducere, & in primis undis falsa vestigia ponere, inde subito impetu per medium æquor cum insidente sibi præda natate, Misella littus relictum frustra respicere, & serò nimis sui lusûs audaciam damnare. Verissima hæc effigies est hominis, carnis blanditijs

jama

(b) Corpus decipit animum.